

Ung.  
VI 76

soph.  
12.



~~744.72.~~

EX BIBLIOTH.  
NATIONIS HUNGAR.

VITEBERG.

11-76.

SIGNAT. clōlōCCCXIII.



I. N. J.  
SPECULATIONUM

Ontologicarum

SEPTIMA,

*De*

VERITATE,

*Quam*

PRÆSES

M. NICOLAUS BENEDICTUS

PASCHA, Zittâ-Lufatus.

RESPONDENTE

JOHANNE HEINRICO SCHEU-

CKERO, Freibergâ Misnico.

*Publicæ Eruditorum ventilationi*

*subjicit*

Ad D. XXIII. Maji,

*In Auditorio Minori.*

*horis matutinis.*

---

VVITTEBERGÆ,

TYPIS JOHANNIS HAKEN,

M. DC. LXVIII.

SPECULATIO

VERITATE

IN NICOLAUS MENTICIS

JOHANNES HEINRICH SCHUBERT

LEIPZIG  
IN COMPTON'S  
PRINTING OFFICE  
No. 11, N. MARKET  
ST. JOHN'S CHURCH  
LEIPZIG

WITTEBEECK  
LEIPZIG  
1841



**V**eritatis vocem quotidie percipimus, resq; modo veras modo falsas appellamus, si tamen determinanda ratio, in qua præcisè veritas consistat, multis magis mutos sese præstant; neque mirum, cum Metaphysicam l. viderint nunquam, l. ita negligenter ei operam navarint ut non hujus solùm d. vel entis ipsius descriptionem reddere nequeant; Nos ne simili carbone notandi veniamus, inquiremus in præsentiarum paulò penitius in veritatis jam laudatæ formalem rationem, ejusdemq; quantum in nobis est, naturam & requisita explicabimus.

§. 2. Definimus a. eam, per *Attribut. Entis unit: quo Ens habet essentiã sibi debitã quæ* Definitio a. Descriptio potius (est n. terminus transcendentalis) coincidit cum eã, quam habet B. Scharff. in *Met. Exempl. l. 2. c. 2. p. m. 67. 71.* ubi dicit; *Verum esse id quod habeat Essentiam sibi debitam suãq; natura competentem;* nec dissentit adeo à F. D. Maffi *Descript: l. 4. de Ente p. 418.* propositã, & a B. Scharff: in *theor: transc: Disp. 7. th: 12.* non immeritò laudatã; juxta quam, *veritas rei est proprietas sui esse, quod est cuilibet rei à natura definitum;* sed liberandi tamè termini ab imperfectionibus sunt, quibus implicatū videntur, alioquin simpliciter non admittitur.

§. 3. Nunc, antequam de *singulis* nostræ Descriptionis *partibus* agamus, constare prius de *subjecti* evolutione nominali debet, ne in limine statim fallamur; sed paucis illam, & quidem quoad ea saltem, quæ nobis specialem videbuntur mereri observationem, prælibabimus.

§. 4. Ac primum, quod *Homonymiam* hujus vocis concernit, tenendum, quod sumatur 1) *in oppositione ad figmentum*, quo sensu Privationes & Negationes veræ dicuntur. 2) *in oppos: ad apparentiam*, unde distinctio inter contradictionem veram & apparentem enata 3) *in oppos: ad typum*, sic *Simson* typus *Messia*; *Christus* vero verus *Messias* audit. 4) *in oppos: ad Mendacium*, & sic notat veracitatem, virtutem *ὁμιλιτικὴν* in *Ethicis* explicandam &c: harum tamen acceptionum nulla hujus loci directè est, ubi unicè de *veritate Entitativa* agendum. Videri interim hæc de re pluribus differentes poterunt B. Scharffius in l. c. th: 8. & Magnif. Dn. Christ: Trentschius *Log: & Met:*

& Met: P. P. Celeberr: p. t. Academ: Rector Praecept: noster aetatem de  
venerandus. in Coll: Met. Disp. 5. Theor. 2. 1. 2. & alii.

§. 5. Huc spectat vulgata illa Veritatis in Genere divisio quâ, a-  
lia in Cognoscendo, alia in significando, alia in essendo talis; de quâ di-  
visione prolixè egerunt Fr. Suarezius Disp. 8. Met. sect. 2. 3. 4. 5. 6.  
J. Martini in Exer: Met: l. 1. Exer: 16. Corn: Mart. in Comment: Met: p.  
242. & C. Scheib: in Op. Met: l. 1. c. 9. Magnif: D. Calov: in Met. Di-  
vin: c. 5. theor: 1. p. 338. B. Scharffius & Excell. Christ: Trentschius in loc:  
cit: Arniseus, Guttkius, Timplerus, Spenglerus & infiniti alii, quos cita-  
re omnes, prolixum foret; hilegi debent, nos n. omnia, quod supra  
m. monui, huc non transportabimus.

§. 6. Antequam a. singula membra examinemus, advertimus  
primùm, quod hæc divisio Veritatis à Dan: Schalio in instit: Met: c. 36.  
p. 391. impugnetur, qui existimat, veritatem in cognoscendo, signifi-  
cando & essendo non nisi unico gaudere formali, adeoq; perperam ut ana-  
lagas species veritatis in Genere tanquam conceptu analogi sc. juxta Ana-  
lag: intrins: attrib: vulgò proponi; non secus ac sanitatem non licet  
triplicè statuere, eò, quòd uni nempe homini formaliter & intrinse-  
cè, reliquis v. urinæ & medicamento per extrinsecam denominationē  
competat. Quod simile hausit ex F. D. Masio præfat. ad 11. lib: de interpr.  
sect: unic: qv. 5. ubi ad veritatē intellectus speculativi applicat: hinc m.  
procedit, verum triplex dici posse 1) verū formaliter ut cognitio 2) ve-  
rūm effectivè s: terminativè ut res 3) Verum significativè ut voces

§. 7. Et hanc suam sentent: probat; quia forma non statim  
multiplicatur pro numero eorum, quæ diversimodè denominantur. Ve-  
rūm n. verò falsò subtilis ille Philosophus præsupponit, veritatem  
in essendo non nisi extrinsecè Ens denominare, quæ tamē maximè eidem  
intrinseca, ut ex inferius dicendis constabit. Nec juvat eum Auto-  
ritas Aristotelis, quem citat p. 389. & 390. qui l. 6. Met: r. 8. scribit:  
Bonum & malum in rebus esse, verum a. & falsum in intellectu. n. ut ni-  
hil nunc dicā. quòd non tam autoritatibus quā rationibus pugnandū  
ab accurato Philosopho sit; certè Aristotelis textum, non de verita-  
te in essendo, d. cognoscendo tantum, quæ illi contradistincta est, in-  
telligendum esse, ostendit luculentur B. J. Mart: in Ex: Met: l. 1.  
Exerc: 16. th: 2. p. 455. qui E. potest sic concludere? Veritas in cognos-  
cendo est in intellectu formaliter E, omnis veritas tum in essendo &  
significando &c. est in intellectu formaliter? ἀπορον!

§. 8. Ma-

§. 8. Manent itaq; distincta hæc membra *m. formaliter*, cum distinctis gaudeant conceptibus formalibus, qui exdicendis patefcent; consule interim quæ subtiliter in hanc rem disputat B. Scharffius in *Admon: ad studios: de vitandis vanis Neotericorum Metaphisicor: novitatibus argutiisq; insulsis* p. 369. usq; 373. ubi eundem *Sthalium* subpresso tamen nomine, refutat. Nec non *Excell: Christ: Trentschium* l. e. th: 2. §. 6. ubi à *reali separabilitate veritatis in essendo & cognoscendo*, nec non à *simultaneo unius cum alterius concursu, in uno subjecto*, satis accuratè *Adversarii* sentent: profligavit.

§. 9. Hæc de *bonitate divisionis* nunc ad singula membra in specie nos convertimus; hic a. primò occurrit, *Veritas in cognoscendo*, quam vulgò describunt per *conformitatem intellectus cum re*; *Castan: in Distinctionibus sub lit: V.* sed minus accuratè cum non saltem in cognitione intellectuali, sed sensuali *m. detur Veritas*; fallitur oculus, fallitur auris E. & veritatis capaces, habebuntq; suam conformitatem cum re percepta; & quis negaret? testatur abundè experientia. Advertit hoc *Petrus à sancto Joseph. Fuliensis in id ea Philosophia universalis* l. 2. c. 3. p. 128. qn. distinxit inter *veritatem intellectivam & sensitivam* quem ob id citat & rectè laudat *Clar: L. Georg: Meier. in Gnost: p. 403.* Hinc rectius longè B. Scharff. in *Met. Exempl.* p. 71. definit, per *Conformitatem cognitionis ad rem*; quem sequitur *Adam Spengl: in Exer: Met. 5. def: 5.*

§. 10. In primis a. tenendum, non frustra *vocem cognitionis* adhiberi, loco *potentia, cognoscitiva*, cum hæc, qua talis, rei cognitæ, eâ (quæ hîc attenditur) congruentiâ, non assimiletur, d. agendo demum, quod sit l. *apprehendendo objectum suum l. iudicando de eodem*, eam consequatur conformitatem; quod non advertunt, qui *Veritatem intellectivam* per *conformitatem intellectus cum re*, describunt, cum *intellectus sit potentia naturalis ad intellectionem directa, hæc v. ejusdem actio*, ab eoq; realiter distincta, quæ demum si *conformis sit objecto intelligibili* parit *veritatem*. Nec juvat eos simpliciter *termini ampliatio*, quantum n. fieri potest, propriè loquendum.

§. 11. Sed fecimus mentionem *conformitatis & congruentiæ*, verum, in quonam illa consistat, nondum constat; posset alicui absurdum videri, *intellectionem quæ ad bovem directa, assimilari*

bovi & aliis rebg, quare distinguunt Philosophi inter *adequationē* quantitativā & cor respondentiaē s: similitudinis & hanc vicissim in eā quæ est in *essendo*, ac in eā quæ est in *representando talis* dispescunt, atq; *hanc solā hujus loci*, esse contendunt; istā v. & illā, ut ut alio respectu, & in quibusdam exemplis non audeant, nec possint negare, hoc tamen respectu, alienam hic esse, meritò judicant. Vid. B. Scharff. in *Theor. Transc. l. 6. th. 67.* Magnif. Dn. *Trentsch. l. c. th. 2. §. 6. & c.*

§. 12. Hæc, de conformitate dicta quæ sunt, non hic saltem notasse juvabit, d. deinceps m. quoad *ceteras veritatis species*, ubi non secus ac hîc, ejusdem fiet mentio, repetenda; par n. quoad hoc ubique ratio. Nunc *quocumque* ea sit paucis videbimus.

§. 13. Primò itaque & immediatè dispescimus, in *sensitivam & intellectivam*, ob rationem supra allatam; & hanc vicissim pro varietate respectuum, variè subdividi posse, asserimus (1) ratione ipsius actus in *apprehensivam & judicativam*, quod fecit B. Scharff. in *Theor. transc. l. c. th. 71.* ubi vocat illam; *quæ res uti est, nudè apprehenditur & cognoscitur*; facitq; aliam *simplicem* aliam *compositam*: Hanc v. dicit, *quæ fertur judicium de veritate conceptâ.* Plura de iis vid. ap. *Autorem.* (2) ratione *principii* alia *revelata*, alia *naturalis*. Illa, quæ ex lumine revelationis hauritur, hæc *quæ ex natura lumine constat.* (3) ratione *objecti* alia *universalis* alia *particularis*, illa *Intelligibile in Genere concernit & tanquam. Affectio in Gnostol. pensatur*; hæc *determinati est objecti l. corporis naturalis* sic ad *Physicam*, l. *spiritus* & sic ad *Pneumaticam* spectat & c. est n. diffusa per omnes disciplinas. (4) ratione *subjecti* alia *Dei*, alia *Angeli* alia *hominis*, quibus ad *de anima* in statu separato.

§. 14. Quod concernit *alia* ad hanc *veritatem* spectantia *requisita*, utpote, quod *conformitas illa, indivisibilis, plenaria, sufficiens & c.* esse debeat; & quo respectu sic dicatur, ea omnia, ita clarè B. Scharff. in l. c. th. 68. aliq; exposuere, ut vel infans advertere possit; mitto ergo & ad alia pergo.

§. 15. In primis a. silentio prætereundum non est, quod gravissimæ de hæc Veritate, inter Philosophos controversiæ, alantur utrum np. in omnes tres mentis operationes cadat; an v. soli secundæ & tertiæ mentis operationi propria? Posterius affirmant *Thomas, Averroës, Cajetanus, Javellus, Flandriensis, Hervæus, Vasquez*



*Vasquez, Ruvio, Fr. Marcia, Boucardus, Phil. à S. T. Bannes; Zimel;*  
*Durandus &c. in locis à B. J. Mart. in Exerc. Met. & Dan. Scablio in*  
*Quest. Logic. citatis; Hos sequitur ipse Sibalius in l. c. quæst. 33. à*  
*pag. 234. usq; 262. it. Job. Homborg. Diss. 18. Met §. 48. Christ. Dreje-*  
*rus Diss. 10. in Prim. Philos. § 4. p. 169. Priori subscribunt: Ferrariensis,*  
*Sonzinas, P. Fonseca, Conimbricenses, Masius, Svarezius Petrus à*  
*S. Joseph. Fulienfis, Greg. de Valentia, Rod. de Arriaga, Mendoza. Rut-*  
*gersius, Julius Pacius, D' Abra de Raonis, Franciscus B. S. Johann. La-*  
*lemandet, Cartbesius &c. loca citata vide ap. J. Mart. & Sibalium,*  
*nec non L. Meierum in Gnostologia. Sequuntur hosce ex nostris*  
*uterq; Martini, Jacobus & Cornelius in loc. cit. B. Scharffius & Ex-*  
*cell. Trentschius in loc. cit. Scheiblerus in op. Log. Ebelius in Diss. Met.*  
*Wegerus quæst. 9. Proæm. Log. Eislerus in frontispicio Logico Et. quis o-*  
*mines, hic loci recitare vellet? ita n. in hoc certamine, ab utraq;*  
*parte, ad auxere copias suas, ac tanto fervore pugnatur, ut non*  
*Hannibalem quondã cum Romanis, majoribus copiis, ac acerbio-*  
*ri animo, de imperio summo, concertasse crediderim. Et quid*  
*mirum? pro veritate, circa veritatem quis non disputaret?*

§. 16. Utraq; a. sententia certatim pro se citat *Aristotelem,*  
*illa provocat ad Præf. l. 6. Met. c. ultim. & lib. 3. de anima c. 6. t. 22. &c.*  
*Hæc ad lib. 6. Met. t. 8. it. lib. 9. t. 22. it. lib. 3. de anima t. 26. &c. appellat.*  
 Neq; tantum solis autoritatibus nituntur, d. utrinq; multis ratio-  
 nibus globorum instar ex tormentis bellicis emisitorum sese mu-  
 tuo petunt; sed eas, non vacat, hic apponere, neq; directè qui-  
 dem hujus loci hæc controversia est; qui cupit hæc in re infor-  
 mari, adeat *Fr. Svarezius, Masium & Scheiblerum in Loc. cit.* quos  
 hoc in certamine victores censemus, eorumq; sententiæ unà cū  
*Præceptoribus nostris* album adjicimus calculum.

§. 17. Sed nec hæc sententia, quæ pro veritate, qua primam  
 mentis operationē pugnat, in hoc certamine, prorsus unanimis  
 est; concernit a. *infelix illud schisma* oppositū ejus. Nā, ut ut inter se  
 convenient, veritati, cognitionis in genere opponi *ignorantiam*  
*& falsitatem;* tamen pleriq; veritati quæ in simplicem apprehen-  
 sionem cadit, *falsitatem* opponi negant; alii v. affirmant, quibus  
 & nos adstipulamur. Inter illos *Svarezius, Diss. 9. Sect. 1. Corn.*  
*Mart. Cl. Scheiblerum in loc. cit.* facile eminere advertes; sed non  
 tam

tam faciles in hoc quā in illo extiterē certaminē. Omnes n. in univ-  
 versum non tam rationibus ( quæ frivolæ sunt ) quam autoritate  
*Aristotelis* deceptos crediderim, qui l. 3. de anima c. 6. t. 22. ma-  
 nifestè negat falsitatem in primam cadere operationem; Nostræ v. sen-  
 tentiæ, quam ex privatis præprimis Præceptoribus Excell. Dno Mich.  
*Valbero*, *Math. Sup. P.P. & Doct. Heinricho Baumanno* olim hîc  
*Phil. Adj.* hodie v. *Gymnasii Cob. Direct.* hausimus, favet Fr. D. *Ma-*  
*sus* in *Pref. ad lib. de Interpr. Sect. unica quæst. 6.* ex professo verò  
 eam defendit *Jac. Revius* in *Suar. Repurg. Disp. 9. Sect. 1. n. 19.* Et sanè  
 res ipsa clara est, si quis n. Deum ut  $\mu\omicron\nu\theta\varsigma\ \alpha\tau\omicron\nu$  concipiat, quod fa-  
 ciunt *Judei & Turca*, annon is falsum de Deo habebit conceptū?  
 quis Christianorum negaverit? Est n. maximè difformis cum ob-  
 jecto ad quod ordinatur & quod sistere debebat. Atque ex hoc  
 fundamento sic argument. *Quæc. mentis operatio potest esse diffor-*  
*mis objecto suo illa est capax falsitatis; atq; Apprehens: simplicium & c.*  
*E. Major ex definitione & natura falsitatis constat, minor ex dictis li-*  
*quet. Stat proinde conclusio nostra.*

§. 18. Urget quidem *Suarezius* cum *Asseclis*, quod in rebus non  
 detur falsitas ergò nec in conceptibus; sed negamus consequentiã;  
 probatio, quam addit, frivola est. Nam conceptus (inquit) simplices  
 equiparantur rebus in veritate, ergò m. in falsitate imò contrarium  
 lequitur, quia conceptus equiparantur in veritate, ergò disqui-  
 parantur in falsitate. Sed excipit ad hæc; quod hoc modo omnis cõ-  
 ceptus simplex falsus foret respu aliquarum rerum, quia nullus est, qui  
 non habet difformitatem cum aliquibus rebus; sed Respondemus, uti-  
 que omnem conceptum simplicem falsum esse, si per eum intel-  
 ligatur aliqua res, cum qua difformitatem habet, non aliter; ne-  
 que in eo ulla latet absurditas. Plura vulgò cumulant argumen-  
 ta, sed solidè omnia refutata ap. laudatum *Revium* deprehen-  
 des, quem consulere non abs re erit; cui adjungi potest *L. Ge-*  
*org. Meierus*, quondam hîc *Adj. in Gnostol. Part. Gen. c. 9. Sect. 1. tb. 2.*  
*Sect. 3. quæst. 4.*

§. 19. Præter *Falsitatem*, huic *Veritati* m. opponitur *Igno-*  
*rantia*, oppositione (ut vocant) privativa; & hanc duplicem fa-  
 ciunt, aliam *pure negationis*, aliam *prave dispositionis*; illam di-  
 cunt qn. intellectus rem scibilem simpliciter ignorat, ut nihil de  
 illis

illis intelligat; *hanc*, quoniam intellectus rem scibilem prorsus aliter apprehendit atque in se est; & *hæc* coincidit fermè cum falsitate, ut mirer me illos, qui hanc divisionem admittunt, ipsamque ignorantiam veritati qua simpl. appreh. opponi concedunt; asserere tamen non audere, Falsitatem ejus oppositum esse, quid n. hæc aliud ferè importat, præter hanc ignorantiam quam vocant *pravæ dispositionis*? sed relinquo hæc *Gnostologis* & *Noologis* qui pluribus de hæc re differere solent, vide præter *L. G. Meierum cit. loc. M. Georg. Wagen. Phil. Adj. Fautor. ac Amicum* perquam dilectum in *Disp. 9. Coll. Nool. præcept. 9.*

§. 20. *veritas in signif.* quæ alterum membrum superius traditæ divisionis, est congruentia signi cum re significata. *Hæc* vulgò in *veritatem conceptuum, vocum, & literarum* dispescitur; quæ divisio desumpta à rebus, quibus ratio signandi objecta sua, tribuitur. Sed non videtur adæqvata, cum saltem signis doctrinalibus (uti appellant vulgò) competat, dantur n. & alia signa, quæ doctrinalia non sunt & verè in rem significant, sic hædera à cauponario suspensa significat, verè vinum divendibile esse; Non itaque abs re foret forsitan, si veritas in significando dispesceretur primùm in eam, quæ est signi doctrinalis, & non doctrinalis, & hæc demum, uti vulgò receptum, l. uti *Timplerus* (non ineptè hæc in parte) l. 2. c. 8. *th.* 15. 16. 17. 18. & c: facit, veritas illa immediate in *Veritatem conceptus & vocis*, hanc v. in *Veritatem sermonis & scripturæ*, dispesci poterit.

§. 21. Huic opponi potest *falsitas in significando*; non adæqvate tamen, cum omni signo competere nequeat; De signis tamen arbitrariis, & quidem iis, quæ ex arbitrio hominum talia, certa res est, quod fallere possint, & experientia testatur; sic *sigillum Principis ab hoste interceptum, & fraude, ad civitatis obsessæ Præfectum, de denda urbe, trans missum, arguit voluntatem Principis, sed falso.* Verùm de his consulantur supra laudati Autores, quibus in primis addi merentur, hodierni *Gnostologi & Noologi, Guttkius, Frommius, Calovius, Geilfusius, Meier & c.* §. 22. Adhuc de discrimine Veritatis in Cognoscendo & significando aliquid addendum, cum à multis confundantur, a. non adeò diversitas earundem perspicuè tradatur; In primis quæ Veritatem cognoscendi circa simplicium apprehensionem & Veritatem signi conceptuum, videtur dubium sub esse haut leve.

leve. Sed salva res est; si attendamus saltem ad exempla quibus veritas utraqve tribuitur sic *conceptus hominis* quæ actionem notat intellectus apprehendentem naturam hominis, formaliter est Verus in cognoscendo, quæ vero jam instar signi se habet representantis naturam hominis, ipsi actui intellectus reflexo tunc formaliter verus in significando est; qui diversi respectus arguunt sanè diversas formalitates ut ut materialem identitatem simul inferant. In aliis exemplis res clarior est, ubi m. realis diversitas datur sic *vocem, scripturam &c. rectè quidem dices veras in signif. non tñ in cognoscendo* sc: formaliter hæc n. in solis potentiis, cognoscitivis quia actuose sunt, deprehenditur.

§ 23. Sed quæris in quo nam præcisè consistit illa diversitas? dicam: ac id quidem ex natura signorum de promo, ea n. duplicem involvunt respectum alterum ad rem signatam, alterum ad potentiam cognoscentem; nunc si veritas in significando alicui rei tribui debet, oportet duplex ille respectus attendi, ut in allato exemplo, conceptus representans hominem, dicit relationem ad hominem signatum, dicit m. relationem ad actum reflexum cognoscentem in hoc signo sive imagine hominis hominè, judiciūq; de eo ferentè; contra v. juxta veritatem in cognoscendo, una saltem *χέσις* & relatio sufficit, intellectus concipiens s: intelligens simpliciter hominem, ut *animal rationale fertur ad solum objectum cognoscendum, non v. qd. talis, ad aliam potentiam cognoscentem simul.* Uno verbo: *Intelligit hominem verè, licet non intelligat, se verè hominem intellexisse.*

§ 24. Tertium membrum, superius allatæ divisionis est *Veritas in Essendo*, quæ unicè directè hujus loci, & hanc in §. 2. positâ descriptione attendimus, quæ aliàs *Veritas Incomplexa* (entitativa) *fundamentalis, radicalis, objectiva, transcendentalis &c.* audit.

§ 25. Nunc ad *Descriptionem ipsam* pergimus constat a. ille duobus conceptibus, *Contrahibili & contrahente.* *Contrahibilis* p. remotus est p. proximus, ille per *Attributum Entis* exprimitur; Est n. veritas *Realitas transcendens, ex Ente essentialiter fluens, idq; π α ποι ύ ποσ* denominans. Hic per attributū Entis unitū inuitur; Est n. *Veritas tale attributū, quod Ens solū modificat, nec respicit oppositā relationē, atq; hinc simpliciter de Ente predicatur, cumq; eo in sensu unito recipiatur.*

§ 26. Notandus hic venit error *Clem: Timpleri*, qui in *Met. l. 2. c. 5. th: 1. ait: Octavæ classis attributa absoluta sunt, Veritas & Falsitas, & porro subjicit, omne n. Ens est Verum a. falsum; verum n. verò hæc*

*hæc sententia apertè falsa est, cum nullum ens nominare possit, quod sua  
debeitate destituatur.*

§. 27. Sed probat nihilominus suam sent. *Timplerus* contra  
*Fr. Suarez.* cit. loc. quæst. II. ubi disertè ait: dari falsitatem in re-  
bus, idq; inter alia exinde astruit: Quia sicut Veritas est confor-  
mitas s. congruentia Entis cum suo archetypo, & in rebus ex-  
tra intellectum propriè inest; ita falsitas est difformitas & in cõ-  
gruentia Entis cum suo Archetypo &c: sed rectè hic *Suarezius* à  
censuris *Timplerianis* per *Jacob. Reviũ* l. c. n. 15. vindicatur. Primo  
n. falsa nititur Veritatis Definitione, deinde inepta m. est seque-  
la majoris; non n. valet veritas est in rebus E. m. falsitas, ratio  
est, quia *Veritas ita in rebus est, ut cum iis convertatur*; Et quis dice-  
ret, rem aliquam dari, quæ difformis cum Archetypo divino,  
cùm omnis creatura, utut maximè difformis & monstruosa vide-  
atur, talis sit, qualem eam Deus in mente ab æterno habuit?

§. 28. Si excipiat *Timplerus*: Dari nihilominus difformitatẽ  
rerum artificialium cum idea artificis, nec non moralium cum  
rectæ rationis dictamine; habeat sibi hoc responsum: non ar-  
guere hæc falsitatem, sed malitiam, non essentialem sed acci-  
dentalem, quæ toto cœlo differunt. Reliqua argumenta non me-  
lioris notæ h. e. levissima sunt, uti rectè judicat modò laudatus  
autor. Nam *secundum*, si de denominatione extrinseca & falsita-  
te quidem in cognoscendo loqueretur, concederemus totum;  
sed tunc aliena à scopo foret; *sin v. de intrinseca*, quod in-  
tendit, valere debet. Minor est falsissima. *Tertium* apertè petit  
principium, nec quicquam eum juvat *Goelenii* autoritas, quam  
in subsidium vocat.

§. 29. Tantum de conceptu contrahibili, pro instituti rati-  
one, plura te docebunt *Magnif. Dn. Trentschius* in *Colleg. Sæpius lau-  
dato*, th. 2. §. 7. & alii. Nos pergimus ad conceptum differentialẽ,  
quem ultima Descriptionis §. 2. sistunt verba; hæc n. declarant  
veritatis formalem rationem, quã, ab omnibus aliis Attribntis,  
ipsã quoq; *Unitate & Bonitate* discernitur. Infert a. illa essentiæ  
debeitas *materialiter* quidem ipsum Ens, *formaliter* realitatem  
quandam, conceptibiliter distinctam ab Ente, qua illud conci-  
pitur habere omnia quæ ei per naturam suam debentur. Hæc sen-  
tentia jam probanda erat, sed examinabimus prius adversas o-  
piniones.

§. 30. Tot a. hic sententiæ adversæ dantur, quot fermè *Metaphysicos* conspicerè licet; quare omnes recensere velle temerarium foret; præcipuas tamen, paucis attingere, nil vetat. Sed antequam ullam earum adducamus, supponimus ante omnia, quæstionem hîc non de *veritate in latissimâ acceptione* esse, prouti veritatem in *essendo, cognoscendo & significando* comprehendit; d. unicè de verit. in *Essendo*; quod propter *Timplerum* noto, qui in l.c. quæst. 3. in Veritatis formalem rationem inquirens perperam hæc confundit. Deinde non de *Veritate Entis creati tantum, a. increati exclusivè, sed Entis ut sic, qua indifferenter se ad utrumq; habet*, solliciti sumus, quod propter *Fonsecam* observamus, ne pressus rationibus nostris, quærat effugium, hæc distinctione. Porro *formale totum* attendimus non *partem a. consequens ejus*; hoc idcò præmonemus, ne videamur simpliciter negare, veritatem suo modo Enti, ob congruentiam ad intellectum competere, concedimus n. veritatis consequens necessarium esse, uti deinceps patebit. Ultimo, quod in gratiam *S. bali* addimus, supponendum ex antea dictis ducimus, *veritatem in essendo, cognoscendo & significando*, non notare unam formam, quæ uni saltem ex iis, quibus tribuitur Veritas, intrinsecè, reliquis v. per extrinsecam denominationem competat. Plura non adjiciemus, cum hæc in præsentiarum sufficiant, nec chartæ ratio, prolixiores nos esse sinat.

\* §. 31. Videamus nunc primò quæ sit *Durandi* opinio, quam in l. sent. Dist. 19. sèvisse scribitur, nempe *formalem rationem veritatis in Relatione ejusdem ad se ipsum secundum esse cognitum & reale*, consistere. Sed multis modis falsa hæc opinio, p. quia *veritatem non nisi per operationem intellectus, rei competere asserit*, p. quia id pro *formali ratione ponit, quod ne quidè eam ingreditur, sed Veritati solummodo per accidens competit*.

§. 32. Non melioris notæ *Aureoli* sententia est, qui in l. sent. Dist. 19. a. 2. *formalem rationem Veritatis, in segregatione cujuslibet ab omni sibi extraneo positivo*, ponit; quem sequitur *Rod. de Arriaga* Disp. 1. Met. sect. 5. subs. 1. Sed malè uterq; veritas n. *perfectiorem notat realem, qui ergo poterit in purâ negatione consistere?* nec video quid segregatio illa aliud importet. Præterea m. *veritatē cum unitate confundere videntur*, hujus n. consequens est divisio  
ab

ab omni alio. *Addi ad hæc nostra possunt, quæ habet B. Scharff.*  
adv. hanc sententiam in l. c. th. 10.

§. 33. Sequitur nunc P. *Fonseca l. 4. Met. c. 2. q. 6.* ubi docet :  
*Veritatis formalem rationem, esse relationem rationis ad intellectum*  
*divinum practicè cognoscentem.* Sed meritò ob id exagitatus à *Dan.*  
*Sthalio in instit. Met. c. 36. p. 355. 386.* Manifestè n. ex eo sequitur,  
Deum verum non esse, quia à seipso practicè cognosci nequit,  
practicè n. cognosci, est ita cognosci, ut cognoscens dirigatur  
ad illud efficiendum; præterea falsò m. veritatem, quæ rei citra  
operationem & respectum ad intellectum competit, in relatio-  
ne formaliter ponit, quod ipsum taxat m. *Sthalius.* Sed incidit in  
*Scillam cupiens vitare charybdim.* Negat n. in iudicio de rei verita-  
te recurrendum ad intellectum, ad nostram tamen cognitionem  
non admittit solum, d. probat m. Itanè tandem veritas à cog-  
nitione nostrâ sæpè fallaci dependebit? *ô miseram ejus sortem!* Quid  
*de Deo statuet, quo exemplo premebat adversarium, eritne & ille ve-*  
*rus quia à nobis cognoscitur verus? quid si nemo eum verum cognosce-*  
*ret? quid si nulla creatura existeret? foret ne tunc Deus falsus: a. ut*  
*mitius loquar, non verus? Extrema impietas! utor iisdem verbis, qui-*  
*bis Fonseca sententiam detestatur.*

§. 34. Sed altius examinanda hæc sententia est; videamus  
ergo ejus, de hæc re conclusiones, quarum duas loc. cit. ponit:  
*1. verum significat rem cognoscibilem sicuti est, h. e. uti ipse explicat,*  
*verum significat rem, ut efficere l. terminare apta est veram sui cogniti-*  
*onem.* hoc ipsum probat (1) quia *qualibet res est apta cognosci ut est.*  
Verum n. verò quæ consequentia? Quodlibet ens est aptum co-  
gnosci &c. E. formaliter in eo consistit. Annon eadem facilita-  
te, pro aliis attributis, hæc ratione concludere quis posset, confi-  
stere ea in tali aptitudine &c. quod tamen ille non admittit. Sed  
probat tamen consequentiam firmitatem ex eo, quia *ad hanc co-*  
*cognoscibilitatem significandam usurpent vocem veri.* Ast respondemus:  
si de veritate incognoscendo, & quidem ratione fundamenti  
spectata loquitur, concedimus; hic a. de veritate in essendo ser-  
mo, quam distinctam esse ab illa, ostendimus supra, de hæc nega-  
mus, quod saniores id faciant; quid alii tentent, non curamus, nec  
quod fit, sed quod fieri debeat, videndum.

§. 35. Alterum ejus argum. pro hac conclus. ita habet : *Falsum esse, rem esse cognoscibilem sicuti non est l. esse aptam efficere s. terminare falsam sui cognitionem*, Ergo &c. consequent. probat, quia oppositorum eadem ratio ; Respond. ad Anteced. Falsum in rebus non dari, si de falsitate in essendo loquitur ; nec quid & qualis aptitudo illa sit satis explicavit. Quicquid sit, loquuntur hac omnia de cognitione non essentia rei ; perperam. E. confunduntur.

§. 36. II. conclusio sic proponitur : *Verum est denominatio Extrinseca Entis*. Hanc sibi communem esse cum *Gab. Vasquez. Part. I. Disp. 77. c. 4. & 5. Hurtad. de Mendoza. Disp. Met. 7. Sect. 1.* & ex parte cum *Thomâ de Veritate q. 2. & Capreolo I. Dist. III q. 3.* asserit. Sed mittimus autoritates, parum nos movent ; & ad rationes ejus potius nos accingimus. Probat a. id, quia *ens verum denominatur, ut forma denominans sit extra id, quod denominatur*. Sed negamus id. Probat ergo ? quia *id, à quo denominatur ens verum est l. cognitio mentis l. iudicium*. Respond. est petitio principii. Provocat ad conclusionem primam, sed nec illam concedimus, probatur ergo idem per idem. Nolo adducere quæ sequuntur, omnia n. falsa nituntur hypothese, np. quod unica saltē veritas sit, quæ tantum pro diversa denominatione extrinseca variet, quod ipsum tamen in fine capitis, ex his duabus conclusionibus demum astruit, & sic perpetuum committit circulum. Similia quæ adducit dissimilia sunt, nec quicquam probant. Linquimus ergo hanc sententiam, utpote quæ nullis innitatur rationibus, imo manifestissimis aliorum contradicat ; quod n. enti per essentiam cōpetit, quod ex ente essentialiter fluit &c. quomodo id denominatio extrinseca sit non capio ? Non urgebo plura, quamquam multa essent, & inter ea, quod sibi ipsi quodammodo contradicat ; pagellarum n. ratio non permittit. Præstabit hic pro nostrâ sententiâ legere quæ ( utut paucis nervosè tamen ) habent *Clar. Arnisaus in Ep. Met. & A. Spengl. in Exer. Met. V. a. 2. ax. 2.*

§. 37. Nunc *Timpleri* nugas attingemus ; is n. l. c. th. 3. veritatem describit : *Quod sit conformitas Entis cum Archetypo*. per archetypum a. uti in qvæ. 3. se explicat, intelligit omne id, cui Ens per se conforme est, s. idea divina, s. ipsa natura Entis. Aliud quippiam  
extra



extra illud Ens in natura existens. Sed rectè hic quærit J. Revius in  
l. c. *Disp.* 8. *sect.* 7. n. 12. unde hauserit illam significationem archety-  
pi! archetypus n. ap. Philosophos est causa exemplaris s: ea sit re-  
rum naturalium & in mente divina s: artificialium & in mente  
artificis; & sic Deus quia causam nullam nee exemplarem  
agnoscit, excludetur à veritate. *o impiam opinionem!*  
nec juvat eum termini ampliatio cum nihilominus absurditate  
non careat, quemadmodum accuratè ostendit modò laudatus Revi-  
us, loco dicto. Neq; melioris notæ est altera definitio, quam in e-  
odem loco suppeditat & sic se habet: *Veritas est actus veri quæ est*  
*verus* ridiculum! cur non hominem m. definit, homo est actus ho-  
minis quæ est homo? quis puer non difficillima quæq; sic definire  
posset? in excusabilis error in tanto Philosopho!

§. 38. Sed habet adhuc aliam Definitionem *Timplerus*  
quam theor: 5. proponit ubi *veritatem in essendo per congruentiam cum*  
*natura sua*, describit, & hæc magis hujus loci videtur quam priores,  
quæ *veritatem ut sic* (ex mente ipsius) concernere debebant; nee à  
nobis huc attractæ essent, nisi ipse, cælum terra miscens, in contro-  
versia de *Veritate, quæ Entis est attributum*, ea propotuisset & statu-  
isset & statuminasset. Sed ad rem. Videri quidem posset hanc de-  
scriptionem cum nostrâ coincidere; verùm si penitius introspectia-  
mus, potius ad bonitatem quam *veritatem* spectata:

§. 39. Sed properandum ad finem est, ventilandaq; eorum  
sententia, qui in *conformitate ad intellectum potissimum divinum*, for-  
malem rationem veritatis collocant, per *intellectum a. n.* non nu-  
dè *speculat*: nec *simul practicum*, d. *ab utroq; præscisum* intelligunt  
&c. Et hæc sententia graviss: aliàs Philosophorum est, quos honoris  
ergò hic recensere super sedemus; interim unum vel alterum tamen  
licebit attingere, inter quos eminet *Fr. Svaricig* l. c. *Scheiblerus*, *Gut-*  
*kius*: *Corn*: *Mart*: *Arniseus*, *Bartholus*, *Rutgersius*, *Finckius*, *Rath-*  
*mannus* &c.

§. 40. Verum uti hanc sententiam verissimam judicamus quæ  
ad *consequens veritatis* refertur; ita quæ pro *ipsa formali ratione* ha-  
betur, hætenus eidem subscribere non audemus; d. potius mode-  
stè dissentimus, obsequentes rationes (i quia *veritas convenit Enti*  
*pro ut ens est*, E. non quæ refertur ad intellectum; n. quod Enti pro-  
ue

ut ens competere debet, id ei citra respectum conveniat necesse est. (2) quia τὸ intelligibile ratione formali supervenit demum. natura n. τὸ esse semper supponitur τὸ intelligibili. (3) quia *Ens licet non cognoscatur ut congruens ad intellectum, concipi tamen ut verum potest* habet n. essentiam sibi debitam, quamvis non concipiatur ad intellectum s. divinum s. humanum (4) quia (quod intellectū divinum in specie attinet) *nobis non constat de congruentia cum intellectu divino s. id ea quam Deus in mente habuit ad exprimendum verum.* quomodo ergo aurum ut verum concipientes, poterimus illud sub congruentia ad intellectum divinum concipere, de qua non constat nobis? (5) quia *illa congruen. ad intellectum divinum nō respondet ad questionem propter quid?* quod cōcedunt ipsi adversarii, *Deus n. (dicunt) non ideo est verus quia se videt esse verum sed quia verus est ideo se videt esse verum.* (6) Denique ex ipsa eorundem hypothesisi *hujus sententia falsitas demonstratur, Dicit n. Suar. Disp. 4. Sect. 1. t. 14. Divisionem ab alio ad unitatem non pertinere, quia hoc rei per accidens saltem & ex coexistencia alterius competit.* Cur non idem valeat de veritate?

§. 41. Sed objiciunt tn. adversarii pro sua sententia (1) quod Deus sit prima veritas. E. Resp. neg. conseq. Maj. Instant: Veritatem esse se attributum respectivum. E. Resp. nihil sequitur, nisi hoc, quod cōsequenter inferat respectum; quod concedimus. urgent porro: nostram sentent. non respondere quæst. propter Quid? Respond. est petitio principii. Pergunt: nos debeatatem probare non posse nisi ex conformitate. Respond. Neg. Habere n. Ens debeatatem per deduct ad absurdum facile probatur nisi n. Ens haberet essentiam sibi debitam destitueretur l. omni l. a qua essentia parte, quod utrumq; contradictorium.

§. 42. Breviter nunc probamus nostram sententiam (1) indirectè per remot. omniū aliarū opinionum (2) directè, quia posita debeatate si vel maximè nihil aliud ponatur ponitur Veritas, & sublatā eā, si vel maxime, nihil aliud tollatur tollitur Veritas (3) quia debeatitas est proxima ratio inferendi à priori cōgruentiā &c.

§. 43. Tandem de consequente Veritatis nostræ np. Congruentiā cum intellectu divino; ut & Divisione quā in creatam & increatam dispescitur, agendum; sed chartæ ratio, m. maximè necessaria dictu omittere nos cogit vid. Calovius Scharffius Spenglerus, & alii, in locis citatis.

ULB Halle


3


005 129 222



*Reho*  
*WD 17*







I. N. J.  
SPECULATIONUM  
Ontologicarum  
SEPTIMA,  
*De*  
VERITATE,

*Quam*  
PRÆSES  
M. NICOLAUS BENEDICTUS  
PASCHA, Zittâ-Lufatus.

RESPONDENTE  
JOHANNE HEINRICO SCHEU-

CKERO, Freibergâ Misnico.

*Publica Eruditorum ventilationi*

*subjicit*

Ad D. XXIII. Maji,

*In Auditorio Minori.*

*horis matutinis.*

---

VVITTEBERGÆ,  
TYPIS JOHANNIS HAKEN,  
M. DC. LXVIII.